



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Francisci Baconi Baronis de Verulamio, Vice-Comitis S. Albani, Summi Angliæ Cancellarii, Opera omnia, Quæ extant: Philosophica, Moralia, Politica, Historica ...

Bacon, Francis

Francofvrti ad Moenvm, 1665

Cap. X. Partitio secunda historiæ civilis (specialis) in meram, & mixtam.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10497643-5

55

idiplum à Demosthene) protulit, Bonam famam propriam esse possessionem defunctorum. Quam quidem possessionem non possum non notare, nostro ævo inculcam ut plurimum, & neglegam jacere.

Quantum ad *Relationes*, optandum esset diligentia, Quippe vix incidit aliqua actio illustrior, cui non intersit calamus aliquis ex melioribus, qui eam excipere & describere possit. Quoniam autem is per paucorum hominum esse debet, qui Historiam justam pro dignitate conscribat, (ut ex paucitate Historicorum, vel mediocrium satis liquet) idcirco si actiones particulares, sub tempus ipsum quo geruntur, tolerabili aliquo scripto memoriæ mandarentur, sperandum esset, exorituros quandoque, qui Historiam justam, ope & auxilio illarum *Relationum*, conscribere possent. Illæ enim instar Seminarii esse possint, unde, cum usus foret, hortus amplius & magnificus consereretur.

CAP. VIII.

Partitio Historiæ Temporum, in Historiam Universalem, & Particularem, & utriusque Commoda, & Incommoda.

Historia Temporum aut Universalis est, aut Particularis; Hæc alioj Regni, vel Reip. vel Nationis res gestas complectitur, illa Universalis Orbis. Neque enim defuerunt, qui Historiam Mundi etiam ab Origine scripsisse videri volunt; Farraginem rerum, & Compendia narrationum pro Historia exhibentes: Alii sui temporis res, per Orbem terrarum memorabiles, tanquam justa Historia complecti posse confisi sunt, conatu profectò magnanimo, atque fructu haud exiguo. Neque enim res humanæ ita Imperiis aut Regionib⁹ divisæ sunt, ut non habeant multa connexa; Quare juvat certe, fata, alicui seculo aut ætati destinata, veluti una tabula contenta & descripta intueri. Fit etiam, ut plurima scripta non contemnenda, [qualia sunt eæ, de quibus antea locuti sumus, *Relationes*] alias forte peritura, neque prelium sæpius passura, aut saltem capita ipsorum, in huiusmodi Historiam Generalem recipiantur, atque hoc pacto figantur, & conserventur. Verum tamen, si quis rem rectius perpendat, animadvertet, tam severas esse Historiæ iusta Leges, ut eas in tanta argumenti vastitate exercere vix liceat; aded ut minuatur potius Historiæ Majestas molis granditate, quam amplificetur. Fiet enim, ut qui tam varia unde quaque persequitur, is in formationis Religione paulatim remissa, & diligentia sua, quæ ad tot res extenditur, in singulis elanguescente, auras populares, & rumores capter: & ex relationibus non admodum Authenticis, aut huiusmodi aliqua levidenti materia, Historiam conficiat. Quin etiam necesse ei erit, [ne opus in immensum excrescat,] plurima relatu digna consulto prætermittere, atque ad Epitomarum rationes sæpius delabi. Incumbit etiam aliud periculum non parvum, atque utilitati historiæ universalis ex diametro oppositum. Quemadmodum enim universalis historia narrationes aliquas, quæ alias forte fuissent peritura, conservat; ita contra sæpè numero narrationes alias satis fructuosas, quæ aliter vitæ fuissent, propter grata mortalibus rerum compendia, perimit.

CAP. IX.

Partitio alia Historiæ Temporum, in Annales, & Acta Diurna.

Etiam Historia Temporum rectè dividitur in *Annales*, & *Diaria*; Quæ divisio, licet ex periculis temporum nomina sumat, tamen ad delectum rerum etiam pertinet. Recte enim Cornelius Tacitus, cum in mentionem Magnificentia quarundam structurarum incidit, statim subdit, *Ex dignitate populi Rom. repertum esse, vestilustres Annalibus, talia diurni urbis actus mandare*: Applicando Annalibus res, quæ ad Statum Reip. pertinent; Acta vero & Accidentia leviora, Diariis. Meo utique iudicio, valere conveniret disciplinam quandam Haraldicam, in disponendis non minus librorum, quam personarum dignitatibus. Sicut enim nihil Rebus Civilibus magis detrahit, quam Ordinum & Graduum confusio; ita etiam Auctoritati historiæ gravis haud parum derogat, si admisceantur Politicis res levioris momenti; quales sunt pompæ, & solemnitates, & spectacula, & huiusmodi. Atque sanè optandum esset, ut illa ipsa distinctio in consuetudinem veniret. Nostris vero temporibus, *Diaria* in navigationibus tantum & expeditionibus bellicis, in usu sunt. Apud Antiquos certe Regum honori dabatur, ut acta Palatii sui in *Diaria* referrentur; quod videmus factum fuisse sub Ahasvero Persarum Rege; qui cum noctem ageret in solænem, *Diaria* poposcit; ubi conjurationem Eunuchorum recognovit: At in Alexandri *Diariis*, tam pusilla continebantur, ut etiam, si forte ad mensam dormiret, in acta reponeretur: Neque enim sicut *Annales* tantum gravia, ita *Diaria* tantum levia complexa sunt; sed omnia promiscue & cursim *Diaria* excipiebantur, seu majoris, seu minoris momenti.

CAP. X.

Partitio secunda Historiæ Civilis, in Meram, & Mixtam.

Postrema vero partitio Historiæ Civilis ea sit, ut dividatur in *Meram*, aut *Mixtam*. *Mixtura* celebres duæ: Altera ex *Scientia Civili*. Altera præcipuè ex *Naturali*. Introductum est enim ab aliquibus genus scribendi, ut quis narrationes aliquas non in serie historiæ continuatas, sed ex delectu auctoris exceptas conscribat: deinde eadem recolat, & tanquam ruminet; & sumpta ab ipsis occasione, de rebus Politicis disserat. Quod genus historiæ *Ruminata* nos sanè magnoperè probamus, modo huiusmodi Scriptor hoc agat, & hoc se agere constituat. *Historiam autem iustam* ex professo scribenti, Politica ubique ingerere, atque per illa solum historiæ interrompere, intempestivum quiddam, & molestum est. Licet enim historia quæque prudentior, Politicis præceptis, & monitis, veluti imprægnata sit, tamen Scriptor ipse sibi obstetricari non debet.

Mixta etiam est *historia Cosmographica*, idque multipliciter: Habet enim ex *historia Naturali*, *Regiones ipsas*, atque earum *Situs*, & *Fruitus*; Ex *historia Civili*, *Vybes*, *Imperia*, *Mores*; Ex *Mathematicis*, *Climata*, & *Configurationes Cæli*, quibus tractus mundi subiacent. In quo genere *Historia*, sive *Scientiæ*, est quod seculo nostro gratulemur. Orbis enim terrarum factus est, hac nostra ætate, mirum in modum fenestratus, atque patens. Antiqui certe *Zonas* & *Antipodas* noverant,

Nosque

(*Nosque ubi primus equis oriens afflavit anhelis,
Illic sera rubens accendit lumina vesper.*)

Idque ipsum magis per demonstrationes, quam per peregrinationes. Verum ut *Carina* aliqua parva, cælum ipsum æmularetur; atque uni versum globum terrestrem, magis etiam obliquo & flexuoso, quam cælestia solent, itinere circumverit, ea est nostri sæculi prerogativa: ita ut præsens ætas jure in Symbolo suo usurpare possit, non tantum illud *Plus ultra*, ubi Antiqui usurpabant *Non ultra*; atque insuper illud *Imitabile fulmen*, ubi Antiqui, *Non imitabile fulmen*:

Demens qui nimbos, & non imitabile fulmen; verum & illud, quod omnem admirationem superat, *Imitabile Cælum*; propter navigationes nostras, quibus circa universum terræ ambitum, cælestium corporum more, volvi, & circummagi sapius concessum fuit.

Atque hæc præclara, in re Nautica, atque Orbe perlustrando, felicitas, de ulterioribus etiam progressibus, & Augmentis Scientiarum, spem magnā facere possit; præsertim cum divino videatur Consilio esse decretum, ut hæc duo coeque sint: Sic enim Daniel Propheta, de novissimis temporibus verba faciens, prædicit, *Plurimi pertransibunt, & augebitur scientia*; quasi pertransitus, sive perlustratio mundi, atque multiplex Augmentum Scientiarum, eidem seculo destinarentur: Sicut magna ex parte jam completum videmus; Quandoquidem tempora nostra, duabus illis prioribus doctrinarum periodis, aut revolutioibus, (alteri apud Græcos, alteri apud Romanos) eruditione non multum cedant, eas vero in aliquibus longè superent.

CAP. XI

Partitio historię Ecclesiasticę, in Ecclesiasticam specialem, historiam ad Prophetias, & historiam Nemeleos.

Historia Ecclesiastica in genere, eandem ferè cū *historia Civili* partitiones subit. Sunt enim *Chronica Ecclesiastica*, sunt *vita Patrum*, sunt *Relationes de Synodis*, & reliquis ad Ecclesiam spectantibus. Proptio vero nomine, recte dividitur in *historiam Ecclesiasticam* (Generis nomine servato,) & *historiam ad Prophetias*, & *historiam Nemeleos* sive *Providentię*. Prima, *Ecclesia militantis tempora*, & *statum diversum* memorat: sive illa fluctuet, ut *Arca in diluvio*: sive itineretur, ut *Arca in eremo*: sive consistat, ut *Arca in templo*: hoc est, *statum Ecclesia in persecutione, in motu, & in pace*. In hac parte, defectum aliquem non invenio, quin superfluit in illa complura potius quam defunt: Illud sane optarem, ut massæ tam prægrandi, virtus quoque & sinceritas narrationum responderent.

Secunda pars, quę est *historia ad Prophetias*, ex duobus Relativis constat, *Propheta ipsa*, & ejus *Adimplentiõne*. Quapropter tale esse debet hujus operis institutum, ut cum singulis ex scripturis Prophetiis, eventum veritas conjungatur; idque per omnes mundi ætates, tum ad confirmationem fidei, tum ad instituendam disciplinam quandam, & peritiã, in interpretatione Prophetiarum, quę adhuc restant complenda. Attamen in hac re, admittenda est illa latitudo, quę Divinis vaticiniis propria est & familiaris; ut adimplentiõnes eorum fiant, & continenter, & punctualiter: Reseruit enim

Auctoris sui naturam, cui unus dies tanquam mille anni, & mille anni tanquam unus dies: atque licet plenitudo, & fastigium complementi eorum, plerumque alicui certæ ætati, vel etiam certo momento destinetur; attamen habent interim gradus nonnullos: & scalas complementi, per diversas mundi ætates. Hoc opus desiderari statuo, verum tale est, ut magna cum sapientia, sobrietate, & reverentia tractandum sit, omnino dimittendum.

Tertia Pars, quę *Historia Nemeleos* est, sanè in calamos nonnullorum piorum virorum incidit, sed non sine partium studio; occupata est autem in observanda divina illa convenientia, quę nonnunquam intercedit, inter Dei voluntatem Revelatam, & Secretam. Quamvis enim tam obsecra sint Consilia & Judicia Dei, ut *homini animali* sint penitus inscrutabilia, quin etiam sapius eorum oculis, qui prospiciunt è tabernaculo, se subducant; Divinæ tamen Sapientiæ visum, aliquando per vices, ad suorum confirmationem, & confusionem eorum, qui tanquam sine Deo sunt in mundo, ea quasi majoribus characteribus descripta, sic proponere conspicienda, uti (sicut loquitur Propheta) *quibus etiam in cursu ea perlegere possit*: hoc est, ut homines merè sensuales & voluptarii, qui Judicia illa divina prætervehi festinant, neque cogitationes suas in ea unquam desigunt, tamen, quamvis properè currant, & aliud agant, ipsa agnoscere cogantur. Talia sunt vindictæ seræ & inopinæ; salutes subito affulgentes, & insperatæ; consilia divina per ambages rerum tortuolas, & stupendas spiras, tandem se manifesto expediunt; & similia; quę valent, non solum ad consolandos animos fidelium, sed ad percellendas & convincendas conscientias improborum.

Cap. XII

De Appendicibus historię: quę circa Verba hominum (quemadmodum historia ipsa circa facta) versantur: Partitio earum in epistolas & apophthegmata.

AT non factorum solummodo humani generis, verum etiam *dictorum* memoria servari debet. Neque tamen dubium, quin *dicta* illa quandoque *historia* ipsi inserantur, quatenus ad res gestas perspicuè & graviter narrandas faciant, & deserviant. Sed *dicta* sive *verba Humana* propriè custodiunt *Libri Orationum, Epistolarum, & Apophthegmatum*. Atque *Orationes* sanè virorum prudentium, de negotiis & causis gravibus & arduis habitæ, tum ad rerum ipsarum notitiam, tum ad eloquentiam multum valent. Sed majora adhuc præstantur auxilia ad instruendam prudentiam civilem ab *Epistolis*, quę à viris magnis de negotiis seriis missæ sunt. Etenim ex *verbis hominum*, nil sanius aut præstantius, quam hujusmodi *Epistole*. Habent enim plus nativi sensus, quam *Orationes*; plus etiam maturitatis, quam colloquia subita. Eedem quando continentur secundum seriem temporum, (ut fit in illis quę à Legatis, Præfectis Provinciæ, & aliis Imperii Ministris, ad Reges, vel Senatus, vel alios Superiores suos mittuntur; aut vicissim ab Imperantibus ad ministros,) sunt certè ad *historiam*, præ omnibus, pretiosissima supellex. Neque *Apophthegmata* ipsa ad delectationem & ornatum tantum profunt, sed ad res gerendas etiam, & usus civiles. Sunt enim (ut agebat ille) veluti *Secures* aut *Mucrones Verborum*, qui rerum & negotiorum nodos,